ANTONIJ RICCOBONI ORATIO. IN OBITU TIBERIJ DECIANI CELEBERRIMI I.C...

Antonio Riccoboni

ANTONII RICCOBONI ORATIO IN OBITV Tiberii Deciani celeberrimi I.C.

MAgnam calamitatem, Aud. ornatiſſimi, ex morte Tiberij Deciani, Doctoris, & Equitis præſtantiſſimi, accepimus; magnamq́; iacturam in obitu iuriſconſulti tam egregii, atq; eximii nobilisſimum fecit gymnaſium Patauinum; ut cum eius præſidio priuati ſimus, cuius ſingulari ſapientia nitebamur, merito mœreamus omnes, merito mœſtitiæ noſtræ non obſcuram ſignificationem demus. Sed in communi omnium luctu ea eſt conſolatio capienda, quòd ipſe non ſolum quotidianis laboribus, atq; asſiduis uigiliis ſuis nominis ſibi immortalitatem comparauit: uerum etiam uitæ integritate, innocentia, probitate, Chriſtiane uiuendo, & Chriſtianisſime moriendo, aditum ſibi in cœlum patefecit. E quidem hūc communem mœrorem, egregia huius pompa funeris, honeſtisſimo, & frequentisſimo hoc ueſtro concurſu declaratum, non poſſum nō omnibus laudibus efferre. Sed quemadmodum, cum Achilles ſociis ſuis narraret, Patroclum amicum ſuum in quiete ſibi uiſum eſſe deflentem miſeriam ſuam, & rogantem, ut ſuum ſepulturæ corpus daretur, in eis ſtatim excitata eſt admirabilis quædam lugendi cupiditas, non ſine aliqua iucunditate ex ipſius Patrocli recordatione, & quaſi conſpectu: ſic ego non uereor, ne ex tanti uiri grata commemoratione uos in tanto omnium dolore illam percepturi ſitis delectationem, quòd ipſe ita uixerit, ita mortuus ſit, ut eius rerum geſtarum memoria nunquam intermoritura eſſe, eiuſq́; mors immortalem, & felicem ipſi attuliſſe uitam uideatur. Etenim, dum hanc uitam mortalem uixit, tametſi floruit honoribus & abundauit iis reb. quæ ſummopere ab hominibus appeti conſueuerunt: felix tamen appellari non potuit, quòd ea ſit huius ipſius uitæ conditio, ut ante obitum neminem nominari beatum merito poſſe recte dixiſſe Solon exiſtimetur. Maxima enim, & plurima hominibus mala propoſita ſunt; de quibus non eo animo, eoq́; conſilio nunc eſſe aliquid dicendum arbitror, quo Cyrenaicus Hegeſias dicitur diſputaſſe, qui hanc miſeram uitam ita deflere ſolitus eſt, ut multi eo audito mortem ſibi conſciuerint, idcircoq́; illa ipſa amplius diſputare à Ptolemæo Aegypti Rege prohibitus ſit: ſed cum uobis nec posſim, nec, ut posſim, uelim hoc tempore perſuadere, hæc terrena membrorum uincula, has corpo-

tis compages,hunc corporeum carcerem, in quo animi inclusi ſunt,
iniuſſu Dei eſſe infringendum,ſic habeo,ſi in memoriam ueſtram re
uocem,in hac uita nullam felicitatis ſpem eſſe ponendam , in qua
maximis, atq. innumerabilibus miſeriis,& calamitatib, homo ſubie
ctus eſt,non ſolum propter aduerſam fortunam, uerum etiam pro
pter corporis morbos , atq. animi perturbationes tot, ac tantas,ut
bene cum eis actu eſſe exiſtimari debeat,qui ex his corporibus euo
lauerint.Fortuna enim multas,atq; ingentes hominibus difficultates,
ac moleſtias obiicit; exilia, uincula, egeſtatem, orbitatem,contemp
tum,odia ad eos agitandos exercet;cumq; interdum opes, honores,
imperia permittat,eſt tamen adeo inconſtans,ac uolubilis , ut ple
raq; eius bona in miſeriam, &calamitatem conuertantur, Quid cõ
memorem multitudinem,& uarietatem morborum ? qui immenſam
prorſus,atq. inexplicabilem dolendi materiam corporibus afferunt
humanis? plurimis enim , & maxime uariis ægrotantibus homines
conflictantur; ut ſtrangutia Epicurus,dyſenteria Polyænus, tabe Ni
cocles, aqua inter cutem Agathobulus, multiplici febre , multiplici
inſania, lethargo, elephantia. nobili illa morborum Regina Poda
gra,quæ Bacchi,& Veneris filia dicitur, aliisq; alii miſerrime excru
ciati ſunt; neq; ſolum multos,magnoſq; dolores hominum corpo
ra ex ſeſe colligunt, uerum etiam uerbera, uulnera,uenena, extrinſe
cus inferuntur,nulla pene nõ parte mortifera;& pernicioſi ſunt mor
ſus ferarum,ac in primis ſerpentium,aſpidis, ceraſtæ; dipſadis, chely
dri, atq. etiam,ſcorpionis,& phalangii.Cum autem tot,tantiq; mor
bi corpus humanum perturbent, nec animus quidem uacuus eſt a
maximis, plurimiſq; perturbationibus , quæ eum miſerum prorſus,
atq; infelicem efficiunt. Nam uoluptatum illecebræ,dolorum faces,
diuitiarum ſplendor, obſcura,& contempta paupertas , honorum ſi
tis, ignominiæ metus, aliæq; furiæ,& peſtes eum conuellunt, ac la
befactant: eum compellunt in primis,& funditus conturbant furen
tis libidinis flatus:in eo ſolet radices agere immenſa illa,atq; inexple
bilis ac cumulandarum opum auiditas, quæ non ſolum inopia , ſed
etiam copia incenditur : is inflammatur facibus illius perturbatricis
humanarum rerum,corruptricis optimi cuiuſq; ingenii,concitatricis
bellorum omnium ambitionis, quam nunquam conquieſcere , ſed
ſemper in eis,quos ſemel occupauit, miſere doctiſſimi homines ſen
ſerunt. His igitur,& aliis tot, tantiſq; malis, quibus ſubiecta eſt ui
ta humana, liberatus præexcellentiſſimus uir, Tiberius Decianus,

quàm felicitatem in hac uita habere non potuit, ad eam ex Dei optimi maximi uoluntate per mortem perductus est. Neq; enim aliter existimare possumus de eo, qui maximas, clarissimasq; uirtutes ex præstanti patriæ nobilitate hauserit, ex liberali parentum institutione arripuerit, ex præclaris litterarum studiis expresserit,ut ad rectum à natura factus,& educatione, ac bonarum artium pertractatione formatus esse omnibus uideretur. Nam originem traxit à nobilissima Carnorum regione , quod Forum Iulium nnncupamus, cuius regionis præstantia ex optimis,&præstantissimis ingeniis,quæ in ea oriuntur, quorumq; maximus numerus in hunc ingenuarum artium mercatum quotannis confluit, perspici facile potest; & natus est in celebri urbe Vtino,copiosa,& ad omnem laudem præstantibus hominibus affluenti; quæ tot uiros in omni genere excellentes protulit,ut si enumerare omnes uelim,hodie finem facturus non sim; inter ceteros autem produxit duo illa clarissima earum artium quæ ad Humanitatem pertinent, quasi limina,immo potius lumina, & eloquentiæ flumina,atq; orationis fulmina, Romulũ Amasæum, & Franciscum Robortellum,quorum ille in celeberrimo Bononiensi gymnasio,hic & in Bononiensi,& in Patauino principem ueteris tradendæ eloquentiae locum maxima sua cum laude,ac prope incredibili omnium cum admiratione obtinuit;qui uiri litteratissimi ea doctrinæ documenta dederunt,ea litterarum monumenta reliquerunt, ut clariores, atq. illustriores sint, quàm ut aliquo orationis meæ lumine indigere uideantur. Hoc tanto patriæ splendore illustratus Tiberius Decianus nec familiæ quidem caruit claritate,quae inter patritias Vtini familias fulget, clariorq; cum ab aliis,tum uero à Tiberii patre Io.Francisco reddita est,uiro omni laude cumulato,ciue egregio,legum Doctore eximio. Cumq; Tiberius iis artibus instructus,quæ ætatem puerilem ad Humanitatem informant, annos natus quatuordecim in hoc gymnasium se contulisset , eloquentiamq; cum iuris ciuilis,ac pontificii scientia per octo annos coniunxisset, atq. obscurissima Theoremata in patria sua publice disputasset tanto ingenio,& doctrina, tantaq; dicendi copia, & memoria , ut omnib. esset admirationi, ac tandem in clarissimo Collegio Patauino Iuris utriusq; Doctor declaratus esset; in patriam rediit, ut eam excellenti consilio,atq. opera adiuuaret, statimq; adhiberi cęptus est ad publica munera abeunda,&præcipuas patrię suae dignitates admistrauit, deq; rebus grauissimis ad Serenissimum Venetiarum Prin

cipem legatus missus est; in quib. publicis officiis exequendis eam prudentiam, fidem, diligentiam, integritatem, eloquentiam exercuit, ut omnibus ciuibus suis esset amabilis, atq; adeo etiam admirabilis. O ciuē optimū, æterno præconio celebrandum. Neque uero solum in ciuium auctoritate, & statu ciuitatis defendendo se uirum eloquētissimum ostendit; uerum etiam in priuatorum causis pertractandis, aliquod enim ipse tempus amicorum temporib. transmisit, summaq; animi, ac corporis contentione in priuatorum periculis caste, integreq. uersatus est, potissimum Venetiis, ubi ad eum audiendum tanquam alterum Demosthenem, atq. alterum Ciceronem, maximus fiebat hominum concursus, ut non solum optimus ciuis Vtinensis, uerum etiam optimus orator extiterit. Accessit tertium ornamentum, quod optimum quoq. iudicem se praebuit. Cum.n. eius prēstātissima excellentia, & excellentissima præstantia omnib. nota, atq. explorata esset, nemo erat ex Venetis Senatoribus, cui aliqua ciuitas gubernanda committeretur, qui eum sibi assessorem non expeteret. Quamobrem assessor fuit, & Vicetiæ clarissimo uiro, Laurentio Venerio, & in hac urbe ei præstantissimo uiro, qui postea factus est S. R.E. Cardinalis, Bernardo Naugerio, & Veronæ amplissimo uiro, Francisco Venerio, ei, qui Venetorum principatum est consecutus: summo.n. uiro cum summis uiris contigit uersari; qui si munus assessoris perpetuo exercere uoluisset, cum unus prae ceteris exposceretur, præcipuas omnes Veneto Imperio subiectas ciuitates sine dubio gubernasset. Sed uir ad commune commodum, & utilitatem natus quartum decus appetebat, eamq; curam habebat infixam in animo sempiternam, ut publicus iuris interpres existeret; cumq; interpretis munus in duab. potissimum rebus positum sit, in consilio dando, & in iure explicando, dici non potest, quam egregie, & admirabiliter utrumq; præstiterit. Nam cum esset assessor Bernardo Naugerio, deficiente in hoc gymnasio explicatore eius partis iuris, quæ ad crimina dicitur pertinere, huiusmodi onus Tiberius sibi honorifice impositum tam feliciter sustinuit, ut omnes iuris studiosi, qui Patauii erant, ad eum audiendum confluerent, eiusq. explicationes tanquam oracula quædam audirent. Itaq. tunc præclarum specimen dedit futuræ gloriæ suæ. Ex qua publici muneris functione ad exercendum Veronæ iudicium, ut Francisco Venerio gratificaretur, se contulit, ita tamen ut ei iuris publice interpretandi locus reseruaretur; ac Verona reuersus in locum excellentissimi iurisconsulti Hie-

ronymi Cagnoli tunc mortui ad explicationes, iuris ciuilis ordinarias,& matutinas suffectus est, anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, ætatis suæ quadragesimo tertio, cum ortus esset anno millesimo quingentesimo nono. Quam interpretis dignitatem per triginta gessit annos præclarissime,& quidem cum præstantissimis collegis gessit; primum cum clarissimo iurisconsulto, comite,& equite, Marco Mantua Benauidio, quem præceptorem habuerat, digno mea quidem sententia, qui alteros uiuat nonaginta tres annos ad commodum,& splendorem honestissimæ domus suæ, atq. aliquo etiam temporis spatio cum egregio Doctore Francisco Mantica Fori Iulii lumine fulgentissimo: deinde cum summo iurisconsulto, Iacobo Menochio, qui, quamuis præstantissimus, ei semper cedens amabilem cum eo per decem annos loco secundo concursum propter eius dignitatem etiam primis aliorum gymnasiorum locis anteposuit. Principem enim apud collegas suos locum Decianus obtinuit, preterquàm apud Benauidium; ceterisq; ea demum publici decreti declaratione prælatus est, ut in gradu dignitatis nemo ei par esse posset; atq. cum se perpetuo prœbuit, ut ipsum maxima semper iuuenum frequentia cum maxima attentione, atq. admiratione audiuerit, ut ipsum tanquam cœlo delapsum interpretem omnes suspexerint, deniq. ut ipso nullus unquam interpres extitisse gloriosior uideatur; à quo prope innumerabiles doctores propter eius maximam auctoritatem, & sapientiæ, atq. eloquentię gloriam insignia doctrinę suæ, accipere dignissimum iudicarunt: Quod attinet ad consulendi munus, satis constat, Patauii neminem unquam sæpius, quàm eum fuisse consultum; ut eius domus haberetur huius totius ciuitatis, immo uero totius Italię atq. uniuersi terrarum orbis celeberrimum oraculum, unde Principes omnes, Duces, Reges, Imperatores, Pontifices, nedum inferiores personae, consilium petebant. Atq. in consulendo ita eum excelluisse compertum est, ut re ab ipso declarata, melius non quæreretur: cuius excellentiae amplissima sunt testimonia consiliorum magna uolumina ab eo edita;& testis quoq; est Illustrissimus Senatus Venetus, qui eum his ultimis temporibus honestissimo continuato præmio mille, ut appellant, scutatorum,& quam dignissimo huius gymnasii oblato loco, quem supraordinarium uocant, sibi in iure consulentem deligere auebat. O uirum præclarissimum atq. omnibus laudibus ornatissimum, merito in aliis clarissimis gymnasiis,& potissimum Bononiensi expeti-

tum,atq. eò etiam summis precib. inuitatum; merito à Pio IIII.Pō tifice. Max. dignum existimatum,qui,si oblatam conditionem acci pere uoluisset, ad grauissimas Reip. Christianę caussas Romæ iudicandas Rotæ Auditor constitueretur; merito ab eo, cuius felicissimo principatu nunc fruimur,Serenissimo Venetiarum Principe, Nicolao Pontio, summo litterarum patrono,Equitis dignitate decoratum. Quòd si M.Catoni Censorio ad gloriam fuit insigne, ut trib. summis reb. ornatus existimaretur,& optimus senator,optimus orator, optimus imperator celebraretur: si P. Crasso Mutiano ad famam fuit illustre, ut quinq; bonarum rerum maxima, & præcipua habere diceretur,quòd esset ditissimus,quòd nobilissimus,quòd eloquentissimus, quòd iurisconsultissimus, quòd Pontifex maximus: cur Tiberius Decianus summis laudibus non efferatur,qui optimus ciuis, optimus orator,optimus iudex, optimus iuris interpres cognitus est? Accedit ad magna eius decora,& ornamenta , quod pręter scripta quamplurima,&litterarum monumenta,quæ cum in lucem, & aspectum hominum proferentur, magnum iuris ciuilis studiosis afferent adiumentum , tres etiam filios procreauit se ipso dignissimos; Nicolaum,legum Doctorem excellentissimum , ad regendam Vtinensem ciuitatem sæpius deputatum,grauissimis de caussis ad Serenis. Venetiarum Principem legatum missum.Io. Franciscum, uirum ornatissimum,ad Vtinensis itidem ciuitatis rectionem sæpe deputatum: Roncadenum, uirum optimum, atq; Oeconomicum accuratissimum; qui cum parentis facem sibi prælucentem habeant ad uirtutem, suæ quoq; præstantis naturæ stimulis incitati domus suæ dignitatem non modo non imminuunt, sed etiam(quod inter omnes constat)quam maxime amplificant. Hac tanta celebritate famæ cum ad annum ætatis suæ septuagesimum tertium peruenisset,morte quidem sua maximum sui desiderium apud omnes reliquit,ac mœrorem prope incredibilem omnibus attulit: sed egregiis, atq; excellentib. uirtutib. suis non solum nomen suum reddidisse immortale, uerum etiam in cœlum penetrasse existimatur. Quamobrem quem dolorem nostra ipsorum caussa capimus, eius caussa deponere debemus,cum præsertim in hoc ipso,quod nobis contigit, malo nihil pro sint lachrimæ,& squalores, nihil gemitus,& singultus , summaq; stultitia sit frustra confici mœrore . ubi profici nihil possit. Mortuus certe est Tiberius Decianus , si modo mortuus dicendus est is, qui in perpetuum per gloriam uiuere intelligitur . Mortuus,

inquam, est: at erat mortalis; at tres,& septuaginta annos natus: at plus quàm triginta annos iuris interpretationem cum summa gloria professus. Nemo.n.gloriari potest in hac uita se immortalem existere. Nã ut sis nobilissimus,ut ãtiquissimo genere natus,ut præstantissimo rũ maiorũ imaginib. exornatus,ut abundes diuitiis, honorib. propinquis, amicis, omnib. reb. quæ suauem,&iucundam uitam efficiunt, ut eloquentia ualeas,doctrina polleas,gratia splendeas,auctoritate fulgeas,prospera fortuna omnib. in reb. utaris,ut si prætor,ut præfectus, ut consul, ut dux,ut imperator,deniq. rex, deniq. regum rex. Ire tamen restat,Numa quò descendit,&Ancus. Omnib.n.est moriendum, & tam fragilis existit, tam fluxa, tamq. caduca humanæ uitæ conditio, ut merito eam poetæ simulachro, pulueri, umbræ similem esse dixerint. Quam moriendi conditionem sapientissime animaduerterunt ueteres illi tantopere celebrati,Anaxagoras,Pericles,Xenophon, Puluillus,Cato, Metellus, alii quàm plurimi, qui necessariorum suorum obitum fortissime ferendo pulcherrimum nobis exemplum reliquerunt ad mortem mortalium æquo animo tolerandam. Cum igitur Tiberius Decianus tot, tantisq. huius uitæ incommodis liberatus ad nominis immortalitatem satis diu uixerit, atq. alis innocentiæ, ac probitatis suę ad globos cælestes euolasse credatur, nullumq. remedium inueniri possit, quo nobis restituatur; oportet nos diuinæ uoluntati acquiescere,& insignes,ac præstantes eius uirtutes pro uirib. imitari, atq. interim meminisse,nos esse homines,&mortales.

FINIS.

Cum Licentia Superiorum